Notum sit omnibus quod Ego Bernardus de Aguilone filius et heres Guillelmi de Aguilone militis condam, confitens et recognoscens ex certa sciencia me maiorem viginti
annis gratis non vi dolo inductus nec ab aliquo circumventus seu meo proprio motu et spontanea voluntate et inspecta utilitate mea pro me et pro omnibus meis heredibus et suc-
cessores presentes et futuros de consilio et etiam assensu Bernardi de Uliano de Roncella de Monte Gurino manumissoris dicti Guillelmi de Aguilone quondam patris mei laudo concedo
approbo et confirmo tibi Vitali de Granis clerico Gerunde et tuis quibus volueris imperpetuum totam illam perpetualem vendicionem quam tibi et tuis pro libero et franco alodio fecit
Berengarius de Aguilone frater meus et filius dicti G. de Aguilone de tota medietate pro indiviso totius honoris quem dictus G. pater meus habebat tenebat et acci-
piebat in parrochia de Marmagna tam mansorum domorum bordarum vinearum molendinorum et hominum et mulierum ibi et inde et usque [illegible] et redempcionum corporum et cen-
suum et agrariorum et forestariorum et quartum et possessionum et iurium quam aliorum omnium que dictus pater meus quondam in dicta parrochia de Marmagna et in aliis parrochiis et locis
in quibus dictus honor protenditur habebat accipiebat et accipere debebat prout melius et lacius continetur in instrumento tue empcionis confecto per manum Guillelmi Burgesii notarii
Gerunde pridie idus octobris anno Domini m° ccc° tercio. Que quidem medietas omnium predictorum dicto Berengario de Aguilone fratri meo pertinebat et pertinere debebat tam
ex successione dicti patris mei et sui quondam quam racione transaccionis et composicionis facte inter ipsum Berengarium fratrem meum ex una parte et dominam Elicsendem matrem meam tutri-
cem meam tutorio nomine mei ex altera quam alia quacumque racione. Ita ut tu et tui heredes et tenentes colligatis et recipiatis et possideatis omnia et singula supradicta semper
cum introitibus et exitibus suis et cum omnibus suis integritatibus et pertinenciis pro libero et franco alodio prout melius potest dici ac intelligi ad omnem tuum et tuorum bo-
num et sanum intellectum et ad omnes tuas voluntates proprio faciendas. Et instrumentum predicte tue empcionis consulte agens laudo approbo et firmo in omnibus et per omnia sic-
ut in eo continetur. Omnibus meis et meorum vocibus et racionibus exceptis et penes te et tuos remanentibus et translatis. Cedendo et dando tibi et tuis in predictis semper totum lo-
cum meum et ius et omnes voces raciones et actiones meas reales et personales utiles directas atque mixtas ordinarias et extraordinarias michi competentes ac competituras
ad omnes tuas voluntates proprio faciendas. Sine omni retentu et excepcione aliqua faciendo inde te verum dominum et procuratorem in rem tuam. Promittens bona fide tibi et tuis
quod contra predicta vel aliquid predictorum numquam veniam per me vel per aliam interpositam personam iure aliquo sive causa. Immo promitto tibi et tuis proprio ex certa sciencia predicta omnia et
singula prout ea lacius continetur in dicto instrumento tue empcionis semper facere habere tenere et possidere in pace et secure contra cunctos pro alodio franco. Et si forte
questio aliqua vel demanda tibi vel tuis in predictis contentis in instrumento dicte empcionis vel aliis supra contentis in iudicio vel extra per aliquem moveretur aliquo tempore promitto me po-
nere et stare ante te et tuos in iudicio et extra et suscipere in me totum honus litigii et eam ducere a litis inicio usque in finem meis propriis missionibus et expensis. Et si pro predictis
feceritis tu vel tui aliquas missiones vel expensas in iudicio vel extra totum tibi vel tuis emendare promitto et inde dampnum vestro simplici verbo sine testibus et iuramento. Et pro pre-
dictis omnibus tibi et tuis attendendis et complendis et pro firma et legali evictione et omni interesse obligo tibi et tuis me et heredes meos et omnia bona mea mobilia et inmobilia
habita et habenda ubique. Et etiam iuro sponte per Deum et eius sancta iiii evangelia corporaliter tacta predicta omnia attendere et complere et semper rata et firma habere et numquam in aliquo contravenire
iure aliquo sive causa. Renunciando ad hec iuri minoris etatis. Et etiam omni alii iuri canonico et civili usui et consuetudini quibus contra predicta venire possem. Et in-
super dono tibi dicto Vitali de Granis fideiussorem quemcumque meum et sine me in vita et morte de predictis omnibus et singulis tibi et tuis semper tenendis videlicet Bernardum de Ulia-
no de Roncella de Monte Gurino predictum. Et ego dictus Bernardus de Uliano suscipiens in me sponte fideiussionem predictam constituo me fideiussorem nomine tenendi et
obligari tibi dicto Vitali de Granis et tuis semper ex omnibus et singulis predictis pro dicto Bn. de Aguilone cum eo et sine eo in vita et morte. Renunciando ad hec illi legi qua
cavetur ut prius conveniatur principalis quam fideiussor. Obligando ad hec tibi et tuis de evictione et omni interesse me et heredes meos et omnia bona mea habita et habenda ubique. Et etiam iuro
per Deum et eius sancta iiii Dei evangelia corporaliter tacta predicta omnia attendere et complere et semper rata et firma habere et numquam contravenire aliqua racione. Renunciando ad hec omni iuri
contra predicta venienti. Actum est hoc [illegible] anno Domini m° ccc° nono. Signum Bn. de Aguilone. Signum Bn. de Uliano predictorum qui hec firmamus laudamus et iu-
ramus.

Testes huius rei sunt Jasbertus Folcradi sacrista sedis ecclesie Gerunde, Petrus de Serra de Bruydario clericus et Bn. Morelli de Calidis.

Ego Jacobus Tressorii notarius publicus substitutus auctoritate Regia a Raimundo de Coylano publico Gerunde notario hoc scribi feci et clausi.

·Instrum. Bng. d'aglone.
et Bng. de Oliano fideiussor.

es el de fol. 180

13-4-1309

nº 399

ratificatio Consentiment de la venda ques feu de la mitat de l'honor de Madremanya p. Berenguer de Aguilone a Vidal quondam clergue de P.ª

AC f 180 N. 2, del plec, 18, de Madremanya.

AMV. p. 44 Nº 97.

T. 370 x 370

414